



22

EPISTULA OBSERVATORUM AD PATRES CONCILIARES *

Venerabiles Patres Conciliares,

Fine Concilii Vaticani II iam adventante, Observatoribus et Hospitibus Secretariatus ad Christianorum Unitatem fovendam cordi est sensus gratitudinis exprimere, qua insignes gravissimosque eventus, quorum testes fuerunt, animo considerant.

Invitationem accepimus, ut Concilii labores observando intimius cognosceremus de iisque Ecclesias nostras certiores faceremus. Ubique admodum humaniter accepti sumus. Innumeras aestimationis, caritatis atque amicitiae significationes experti sumus. Dialogus, de quo saepe erat sermo, nullatenus vox vacua vel inanis remansit. Iterum iterumque occasio nobis praebebatur et conversationis personalis et colloquii. Quamvis tam Patres conciliares quam Periti nimio labore occupati fuere, nihilominus vere solliciti erant, quo cognitionem de persuasionibus aliarum Ecclesiarum penitorem acquirerent. Vinculis ac necessitudinibus personalibus in hisce annis initis ipsi nos Observatores non parum ditati sumus atque pro semper manebimus.

Momentum nunc non est de Concilio et de eius fructibus in hisce annis obtentis singillatim disserere. Id unum hac occasione asseverare Patribus conciliaribus desideramus: nos nempe Concilii labores non solummodo observatione quasi a longe facta, sed vera quadam animi participatione prosecutos esse. Id enim quod in una Ecclesia evenit, ad alias quoque omnes spectat. Hoc certe in sessionum decursu clarius atque clarius elucebat. Seiunctione non obstante Ecclesiae in nomine Christi nihilominus coniunctae manent. Nobis Observatoribus firmiter persuasum est communionem, quae hucusque obtenta est, adhuc crescere posse atque revera auctum iri. In prima audientia, qua Observatores coram admisit, Ioannes Papa XXIII felicis recordationis haec verba Psalmistae protulit: « Benedictus Dominus per singulos dies! ». Quae verba nunc hoc modo iterari possunt: Benedictus Dominus pro omnibus, quae Ipse nobis per Spiritum Eius usque in diem hunc donavit, et pro iis, quae Ipse nobis in futurum etiam donare intendit!

* Huiusmodi epistula lecta est a secretario generali in congregatione 167, die 4 decembris 1965.